

sanguine illa, quam hæ nutriuntur; quamobrem auctores fere omnes in hoc conveniunt, quod non sit possibile aliquem esse perfecte leprosum, nisi facies defædatur, quam quæstionem proponit, & resolvit Gordonius in lib. part. 1. c. 3. 1. veris. Ista materia; immo possibile è contra est corpus totum esse liberum, & caput, & faciem lepra infici, ut in Alopecia videmus. Cæterum quia totus cardo hujus rei vertitur in dignoscenda vera lepra, cum de hac plura veniant determinanda, quam de cæteris cutaneis infectionibus, jam verè lepræ signa potiora tradenda, & nonnullæ experientie ad illam internoscendam in medium afferendæ ad probandum an confirmata sit, nec ne. Signa ergo verè lepræ sunt imprimis Pilorum extenuatio, & minoratio, superciliorum depilatio, eorumque crassities, oculorum rotunditas, narium ad extra dilatatio, ad intra coarctatio cum spirandi difficultate, verborum prolatio per nares, Aures subtilatæ, faciei color lucidus ad fuscum vergens. addunt prædictis Avic. 3. 4. 1. 1. c. 3. cap. 2. Vallefc. lib. 7. Gliphitis cap. 21. & Cordon. loc. cit. musculorum consumptionem, ac maxime illius, qui est inter pollicem, & indicem. Egri Melancholici fiunt, & moribus fiunt deterioribus, somnisque melancholici frequenter turbantur. Præter hæc in aliquibus Narium cartilago corroditur, ejus nempe, quæ mediat nares, Pedes manusque scissuris scætant, vox rauca evadit, & catulina, & in summa instar omnium est corruptio ipsius formæ, ita ut non humana, sed ferina appareat, & accedere videatur ad formam Satyri, ut Gal. dicebat, lib. de causis morbor. cap. 7. quam immutationem, & corruptionem formæ hujusmodi in leproso tanti facit Gordonius loco allegato, ut non credat, lepram dici posse confirmatam, nisi ad hunc usque terminum sit progressa; unde existimat ea de causâ non posse leprosum ab hominum consortio sequestrari, nisi in eo forma modo prædicto sit immutata, quanam autem ratione fiat ut in leprosis forma ita depravetur, docet Galen. loco proximo allegato, Sed Baverius de Baveris Conf. 22. ex Guilielm. de Placentia signum ponet confirmatæ lepræ, quod pro infallibili habet, & est apparatus pustularum, & scissurarum in radice lingue diversorum colorum, nam sunt albæ, rubræ, & citrinæ. Communiora sunt quæ sequuntur Ulcerationes altiores carnem erodentes, incendum, & prurigo corpus colliquans, sudor fetidus ex corpore emanans, Anhelitus item fetidus, labia crassa; ex cute squamæ omittuntur ad instar squammarum piscium; quin etiam in ipsa cute maculæ apparent albæ ipsa cute humiliores, caro vero sub cute existens suum naturalem colorem amittit, & albidior apparet, quod signum est lepram occupasse etiam ipsas carnes; quod ut magis exploratum habeas Avicem. loco cit. jubet acu pungi carnem; si enim sanguis ex punctura exeat, lepra non est confirmata, sed si non exeat sanguis jam lepra confirmata est, & incurabilis. Aliud insuper signum magnæ considerationis assertur ex adnascencia pilorum, eorumque colore albicante; nam si ulcera ab ipsa lepra facta cicatricibus obducantur, ac post modum eo in loco pili albicantes renascantur, confirmatæ ac verissimæ Lepræ signum est, ab ipsa quoque sacra pagina una cum nonnullis aliis ex supra dictis allatum. Illud autem notat Vallefc. de sacri. Philof. loc. cit. quod pili renascentes in reliquis partibus lepra occupatis mutantur in albos, in capite vero & barba in flaccos & tenues, addo etiam admodum raros esse, ut in quibusdam notavi.

Quod ad experientias attinet jam unam attulimus de punctura carnis cum acu, ex qua sanguine exeunte Lepra curabilis est, exeunte vero lacteo quodam humore pro sanguine, confirmata est, & curationem non admittit, ut docet Paul. lib. 4. suas Med. cap. 5. ex quo Vallefc. ubi proxime. Præterea desumitur alia experientia ex sensus stupiditate hoc modo, tenuissimam acum in leprosi corpus infingunt, quam puncturam si non sentiat, deplorata res est, consumatissima enim & omnino incurabilis lepra est. Ex qualitate etiam sanguinis desumitur experientia hoc modo. Sanguis à leproso extractus orificio latiore in aqua lavatur, ac per pannum transcolatur, & si in fundo reperiantur grana ad modum arenæ Lepra vera est. Ex avulsionem pilorum aliam experientiam desumi volunt Auctores, avulsis enim capitis capillis si cum his etiam aliquod cutis, seu carnis frustulum avellitur, acta jam res est. Aliam ab ipso sanguine desumptam experientiam proponunt nonnulli hoc modo. Sanguinem leprosi ponunt in aqua clarissima, & si supernatet, lepra confirmata est.

Denique alia experientia assertur à nonnullis, 10 quam alias attuli lib. 3. bar. quæst. tit. 3. quæst. 5. ex Levin. Lem. de oculi. nat. mirac. c. 5. in f. que est hujusmodi. urina leprosi in matula colligitur, in eamque ut si Plumbi pulverem conjiciat, si enim supernatet, signum certum est de ploratæ ac incurabilis lepræ. Sed hæc forte pro Canonistis superflua à quoquam judicabuntur, quia si ad inducendam Irregularitatem sufficiens ipsa scabies est, ubi firma sit, & longo tempore duraverit, multo magis Irregularitatem inducet quæcunque Lepra etiam incipiens, & non confirmata. Verumenimvero hæc exacta lepræ confirmatæ dignotio per commemorata signa ad alia inservire potest, ut maxime ubi agatur de ejectione leprosi à cætu hominum, vel de Theri separatione, & hujusmodi, in quibus hæc exacta lepræ confirmatæ notitia requiritur.

S V M M A R I V M.

- 1 Morbus Gallicus non ex una tantum causa Irregularitatem inducit.
- 2 Morbi Gallici duæ species ex Majolo.
- 3 Gallici Morbi triplex species, & in quam locum habeat Irregularitas.
- 4 Morbus Gallicus, qui nullam exterius de se significationem præbet, an Irregularitatem inducat.
- 5 Irregularitas in morbo Gallico inducitur ex eis, quæ exterius apparent, & quænam ea sint.
- 6 Exterius apparentia in morbo Gallico ex diverso capite inducere debet Irregularitatem.
- 7 Morbus Gallicus si celari facile possit, an inducere debeat Irregularitatem.
- 8 Penis ex morbo Gallico deperdit an irregularitatem hominem faciat.
- 9 Raucedo perpetua ex morbo Gallico contracta an inducat Irregularitatem.

De Morbo Gallico.

Q V Æ S T I O XXII.

MORBUS Gallicus plurimum habet cum se non unam, sed multiplicem causam Irregularitatis, nempe quandoque, impedimentum liberi usus

corporis, turpitudinem, contagium, & difficultatem curationis, & scandalum. sed quia is morbus habet multos gradus, neque videntur, posse habere locum in uno, quæ habeat locum in alio, idcirco non promiscue quæ dicuntur intelligenda de quocunque morbo Gallico, sed de eo tantum, qui notabilem de se significationem præbere potest, unde neque si quis levi Gonorrhæa laboraverit, aut ulcuscula, quæ cito curari possint, in pudendis passus fuerit, aut de presenti pariat, aut levi bubone, ac de facili curabili afficiatur, dummodo scandalum abfit, illico Irregularitati erit subjiciendus.

Majolus, qui proficitur, se ante omnes alios de morbo Gallico in ordine ad Irregularitatem tractasse, ut dicit lib. 2. cap. 14. num. 1. duas morbi Gallici species constituit, & utramque quidem gravissimam; nam unam dicit ex sententia Medicorum esse horribilem valde propter ulcera per corpus diffusa, & propter extrinsecam deformitatem adjectis acerbis doloribus; alteram vero habere majorem cruciatum internum cum articulo- rum inflatione, membrorum ac nervorum attractione, decoloratione vultus, & cutis sine ullo extrinsecò ulcere, & utramque magnam similitudinem cum Lepra habere asseverat. Nos Medici aliter hanc rem enucleamus, dicendo, Morbum Gallicum duplicis speciei esse (sequendo ejusdem Majoli distinctionem) & unum potius per extrinsecam signa alium per intrinsecam magis innotescere. sed multo magis ad rem nostram faciet si distinctius procedamus, nam si morbum Gallicum in species distinguere velimus prout ad negotium medicum magis pertinere videtur, aliter est distinguendum. Sed dicamus nunc, quod respectu Irregularitatis inducendæ per morbum Gallicum, tripliciter veniat, dividendus, nempe in illum, qui levis ac mitis est, solis parvis ulcusculis circa pendenda, vel brevi Gonorrhæa, aut levi bubone comitatus nullis aliis apparentibus symptomatibus nisi forte aliquali capillorum defluvio, & hæc erit prima species. Secunda species gravior est, quæ contumaci Gonorrhæa, & ulceribus pudendorum malignioribus, & bubonibus insignioribus, dehinc etiam fœdis maculis, ac pustulis in toto corpore, & aliquando etiam in capite, & facie est insignis. Tertia denique species quæ gravissima est, apostematibus, & contumacibus, malignisque ulceribus, & artuum doloribus, noctu maxime assigentibus, & abscessibus, ac carie ipsorum ossium, & Narium ulceribus cacoëthi- cis, & totali depilatione etiam ciliorum, & superciliorum est notabilis.

Ex hac igitur divisione patet manifeste in prima hujus morbi specie minimam militare Irregularitatis causam; si scandalum excipias, majorem in secunda: in tertia vero causas & numero plures, & efficaciores, & gravioris militare, cum in ea concurrant omnia impedimenta, quæ ex morbis Irregularitatem inducentibus provenire possunt, nempe Morbi difficultatem, contagium, deformitatem, sanitatis summum impedimentum, & scandalum, ut jam dixi.

Ceterum quia aliquando morbus Gallicus nullam de se exterius significationem præbet, sola autem doloris artuum acerbitate, & cruciatu malignitate se prodit, videndum à Canonistis est de hoc peculiariter; cessant enim in eo plures ex illis causis, quas in cæteris concurrere dicebamus, præcipue vero deformitas, & scandalum, cum nulla-

tenus per exteriora signa de se significationem præbeat, neque celebrationi impedimento sit, quia plerumque hujusmodi dolores noctu affligunt, interdiu vero hominem liberum, aut pene liberum relinquant. Nisi ergo sola infectio Gallica per se sufficiens sit ad Irregularitatem inducendam, determinandum à Canonistis est, utrum tales irregulares sint, necne.

Quod superest, certum est, Irregularitatem in hoc morbo induci ex eis, quæ oculis subjiciuntur hæc enim scandalum pariunt & deformitatem afferunt, unde videndum; ex quibus nam signis homines morbo Gallico affici cognoscamus, & quæ maxime apparentia sint, & ex quibus vel ipsum vulgus facile persuadet morbum Gallicum esse presentem, sunt quæ sequuntur. Capillorum defluvium maxime vero eorum, qui ciliis; supercilis, & barbæ inhærent, crustulæ, pustulæ & ulcuscula in cute capitis, in facie, in collo, & in reliquo corpore, ac cum his fœdis faciecolor, velesque rabor insignis, oculorum offuscatio, Palmarum, Facium & Narium excedentia ulcera, raucedo perpetua, oris colluvies, ipsius Capitis & aliorum membrorum gummata, Palpebræ inferiores livide, ut in foeminis menstrua patientibus, scissuræ, & rhagades in volis manuum, & pedum plantis, & alia nonnulla his non absimilia. Quibus accedant dolores artuum noctu maxime recurrentes, & molestantes, & alia quæ extra non apparent, de quibus idcirco nihil addo.

Hæc igitur, quæ pro signis infallibilibus morbi Gallici attulimus non uno ex capite omnia Irregularitatem inducere certum est, nam aliqua ob deformitatem, alia ob impedimentum liberi usus corporis, & alia aliter faciunt hominem irregularem; nam si capillorum defluvium consideremus, id quidem, ex magna deformitate hominem faciet irregularem, & ex magno scandalo, cum vulgus gravissimum, & foedissimum morbum illico dijudicet, in quo tale defluvium capillorum apparet, & forma faciei mirum in modum depravetur, maxime si cum capillis capitis etiam pili ciliorum, superciliorum, & barbæ decendant, unde tanti facit hanc turpitudinem Majol. loco cit. num. 4. ut tales quasi publicos, & manifestos criminolos, & infames ab ordinibus sacris, ut reliquos infames repellat. At vero neque ullum sanitati hujusmodi depilatio affert incommodum, nec in veritate magnum morbum indicat, cum inter signa, quæ morbum Gallicum leviozem esse demonstrant, sit defluvium capillorum. Tulian. Palmar. lib. 1. de Lue Vener. cap. 4. & cum eo Sennert. lib. 6. Pract. part. 4. cap. 5. & alii, contra autem scissuræ & rhagades in volis manuum neque ex deformitate, neque ex incommodo sanitatis Irregularitati debere causam dare videntur, sed tantum quia cum morbum gravissimum denotent, scandalum afferunt, est enim tale signum ex potioribus, & minus fallibilibus denotantibus gravem morbum Gallicum, ut omnes Doctores firmant.

Quod reliquum est videretur à Canonistis id indubitanter determinandum, Morbum Gallicum nempe, qui celari possit, non inducere Irregularitatem, non obstante quod incurabilis sit, & contagiosus, quia videntur hæc duæ causæ insufficientes ad inducendam Irregularitatem per se, nam de Incurabilitate nihil consideratione dignum occurrit, ubi non affocietur aliis causis efficacioribus, & de contagio idem dicendum, quando non est de facili.

cili communicabile, ut in Lepra. cessante ergo in morbo Gallico, qui cæleri facile potest, scandalo, & impedimento liberi usus corporis, videtur, salva semper Canonistarum determinatione, illum non inducere Irregularitatem.

- 8 Er in tantum crederem hoc esse verum, ut etiam si quis ex malignis ulceribus Gallicis, cicatrices insignes in corpore (que tamen occultari vestimentis facile possent) contraxisset, aut etiam Penem totum deperdidisset, vel aliud quodcumque quantumvis patens, ac indelebile signum in corpore conseruaret, non existimarem ex hoc Irregularem fieri. sed hoc ad me determinare non pertinet.
- 9 Sed inter alia signa conspicua gravis morbi Gallici, repolui Rancedinem perpetuam, & immedicabilem, quæ quidem tanto majorem dubitationem faciet, si cum ea jungatur de præsentis, vel alias conjuncta fuerit, Gutturis, faucium, aut Narium, aliarumque partium contiguarum maligna ulcuscula, & exedentia. de hac igitur Rancedine non tam libere forte pronuntiandum, quod non sit sufficiens causa Irregularitatis, cum, ut dixi, morbum Gallicum gravissimum denotet, & significationem de se præbeat maximam, ex quo scandalum emergere magnum, non est dubium.

S V M M A R I V M.

- 1 Febriens nec promoveri, nec ministrare potest.
- 2 Febres intermittentes, quartana simplici excepta, etiam in intermissione liberum corporis usum impediunt, & idcirco semper inducere debent Irregularitatem.
- 3 Febres Hæctica, & symptomatice ex naturalium viscerum obstructione, an Irregularitatem inducant.
- 4 Levis febris qua dicitur ad hunc effectum, ut non faciat Irregularem. & num. seq.
- 6 Pests facit hominem Irregularem.
- 7 Pests non semper est incurabilis.
- 8 Pests, & Epidemia non sunt idem.
- 9 Peste cessante cessat Irregularitas.

De Febre, & Peste.

Q V Æ S T I O XXIII.

1 Circa Febrem non aliter differendum erat respectu Irregularitatis, quam de quovis alii morbo, qui liberum corporis usum impediatur, de ea tamen Canonistæ peculiarem sermonem habent, eamque conclusionem firman, quod quodcumque hominem notabiliter vexat, ut libere actiones suas exercere non possit, inducat Irregularitatem, ita ut febriens nec promoveri, nec ministrare possit. Excipiunt autem illi febres intermittentes, & maxime intermissionis tempore, circa quæ tamen ex Medica officina sunt quædam non parvi momenti ponderanda.

- 2 Et primo adnotandum, febres omnes intermittentes, si simplicem quartanam excipiamus, dummodo non adeo leves sint, ut nullius considerationis sint existimandæ, etiam in tempore intermissionis non permittere hominem, ut libere corporis munitis utatur; quod tanto magis habet locum, quanto majoris vehementiæ febris est, quanto majoris durationis, quanto pluribus symptomatibus,

& majoris momenti associata, & quanto minus interpolationis tempus habet, imo in duplici Tertiana, seu in triplici Quartana etiam febre omnino intermissionem per notabile spatium habente, homo non habet liberum corporis usum, unde semper videtur habere præsentem Irregularitatis causam. sed quid ego in duplici Tertiana, aut Triplici Quartana dixi? in ipsissima Tertiana simplici non pertransiente spatium duodecim horarum homo in die interpolationis non habet liberum corporis usum, unde neque sanus dicitur, neque sanus est. *l. Qui Tertiana ff. de Edel. Ed.* quod apud nos probatione non eget & hoc quidem non absq; summa ratione, quia Tertiana laborans, non est in statu naturali, est ergo in statu præternaturam, & sic morbosus dici debet, sed in casu nostro multo facilius hoc habet locum, quia non solum Tertiana laborans die interpolationis habet in se causam morbosam, & dispositionem ad ægotandum, sed potius dici in actu ægotare, dum ad opera quædam natura est adeo ineptus, ut non nisi cum periculo eas exercere possit: nam si exempli gratia Tertiana laborantem permittes domo exire, aut quocumque modo sese exercere motu corporis, immo & è lecto tantum surgere, illico humor putrescens excitabitur, & ex simplici Tertiana duplicem, aut etiam continuam efficies, quod quidem hoc modo usu venit, ob ipsius peccantis humoris naturam, qui vel minima occasione facile accenditur. Ergo febriens ex febre intermittente, Quartana excepta, erit semper impeditus etiam in die interpolationis in libero corporis usu, habebit ergo semper sufficientem causam Irregularitatis, & sic nec promoveri, nec ministrare ullo modo poterit, quæ omnia Canonistis consideranda propono.

Cæterum quoad febres continuas notandum, ex eis esse nonnullas, quæ vel habituatæ sunt, & fixæ, dicunturque Hæctica, alias vero esse symptomatice, & ex his quædam dari levissimas quidem ex naturalium viscerum obstructione, dependentes; tam hæ autem, quam Hæctica leves dici possunt aliquo modo, quia neque ullo dolore, neque ullo insigni symptomate, neque notabili corporis impedimento sunt molestæ. Sed Hæctica humidum primigenium sensim depascens, hominem extenuant, tandemque ad mortem perducunt, & quia cum confirmata est, curationem non admittit, neque est à contagio libera, videndum an faciant hominem Irregularem: nam alia febris symptomatice jam commemoratæ neque incurabiles sunt, neque contagiosæ, cumque non magno impedimento sint libero corporis usui non viderentur facere hominem irregularem.

At vero cum levis febris non dicitur inducere Irregularitatem, videndum quantum febris ad hunc effectum levis sit nominanda, & videtur à Canonistis decisum, eam intelligi levem, quæ non impedit liberum corporis usum; at si considerabimus ea, quæ mox de Hæctica febre retulemus, videbimus, eam non impedire hujusmodi liberum corporis usum, quia homo non minus quam si sanus esset, liber est ad sua munia exercenda, & nullo corporis dolore afficitur, at vero talis homo dicitur sanus. *Gal. lib. 6. de sanit. tuend. cap. 5.* aut saltem etiam si sanum hunc non vocare debeamus secundum Galenum, quia vere non potest dici liber ad corporis munia exercenda cum febricitet, sanum tamen vocabimus secundum Canonistas, quia talem

lem liberum usum corporis habet, qualis sufficit ad Irregularitatem evitandam, non erit ergo verum, quod levis febris non inducat Irregularitatem, cum Hæctica, quam vidimus levem febrem esse faciat Irregularem.

- 5 Dicendum videtur levem febrem ad hoc eam dici, quæ nullo notabili symptomate insignis est, quales solent esse nonnullæ Tertianæ mitissimæ, & jam commemoratæ febres symptomatice ex naturalium viscerum obstructionibus originem habentes, & Quartana jam extenuata, & chronicæ quædam febriculæ quæ sperni possunt. at Hæctica febris præter commemoratam incommoda, de quibus supra, habet secum summam extenuationem, quia absumit Carnes, & radicale humidum, & idcirco non solum levis nomen non meretur, sed est gravissima & læthalis, ut notum Hippis, & tonforibus est.

- 6 Sed jam de Peste loquamur, quæ dum actu affligit multo promptius quam alius quilibet morbus Irregularitatem inducit. *Majol. lib. 2. cap. 2. num. 2.* ampliant autem Canonistæ, ut hoc non solum locum habeat in eo, qui de præsentis peste detinetur, sed etiam in eo, qui pestis suspectus est, nempe quem facile peste præhensum iri censemus, & hoc, ne, si infectus forte fortuna sit, alios inficiat. duplicem autem causam ejus Irregularitatis assignat Major, nempe Contagium, & incurabilitatem. Sed adverte esse pestes etiam aliquas sine contagio, immo omnes absque contagio incipere certum est, ut probavi alias *lib. 3. bar. quæst. iii. 3. quæst. 2. a num. 13. ad plures seq.* & tunc quidem cessante hac conditione, cessabit Irregularitas quantum est ex hoc.
- 7 Præterea non est adeo incurabilis pestis, ut plures ab ea non evadant, nam gravissima censetur, ab omnibus Medicis, in qua tertia pars ægotantium vix superstes est, qualis ea Pests fuit, quæ annum Domini 1450. vagata est, & in summa non est absolute verum esse incurabilem, si ex tribus partibus peste affectorum una superstes esse soleat; præterquam quod neque Pests ipsa contagiosa indicata tam efficax causa est communicationis morbi de uno subiecto in aliud, quantum communiter creditur, cum in vera peste, quantum ego existimo, minimum operetur contagium, sed cita communicatio morbi ex aëris corruptione adveniat, cum nulla vera Pests sit, quæ ex aëris corruptione non fiat, & ea, quæ ex solo contagio fit, citissime vires amittere necesse sit, ob resistentiam, & reactionem eorum corporum, in quæ communicari debet contagium; amittit enim semper de suo vigore seminium pestis communicando se de uno individuo in aliud, tandemque evanescit, nisi ab aëre corrupto, ac pestilenti adur proxima dispositio contrahendi hujusmodi contagium, ut in particularibus Pestibus usu venit, quæ plures quidem homines ejusdem domus, ac familiæ inficiendo, tandem agendi energia remissa, omnino, ac brevi temporis spatio cessare solet. sed nunc non est hic locus; cogimur tamen plerumque communi hominum opinioni nos asportandos committere, ex qua habemus, Contagium non solum inspiratione, & conversatione, & per tactum, & per vestes, sed etiam per visum, si Diis placet, communicari, & ex hoc tam qui actu ægotat; quam qui dispositionem proximam habere censetur ad ægotandum, & pestis suspecti sunt Irregulares omnino ob contagii periculum, judicantur.

Illud autem adnotaverim circa Peste, quod non idem sit Pests, & Epidemia, nam aliqui iure-consulti aliarumque scientiarum Professores inter Peste, & Epidemiam nullam differentiam agnoscunt, cum tamen causa, & periculo maxime eas distinguere oporteat. nam Pests causam habet communem, sed deleteria, ac maligna qualitate insignem, nempe aërem corruptum, seu malignam exhalationem contagio communicatam, Epidemia vero causam quidem habet communem, nempe aërem intemperatum, & in primis qualitibus excedentem, absque concomitantia ullius pravitaris, ut ex Gal. aliisque probavi *lib. 3. iii. 3. quæst. 1. & 2.* differunt etiam periculo, quia in Peste plures pereunt, quam salvantur, nam Pests est morbus exitialis; in Epidemia contra plures salvantur, quam pereant, quia morbus est ut plurimum fatalis.

Atque ex his sequitur, Epidemiam neque ob contagium, neque ob incurabilitatem facere hominem irregularem, sed tantummodo ex vexatione corporis, ex qua impeditur ad suas naturales actiones libere exercendas, ut quicunque alius morbus, qui liberum corporis usum impediatur.

Adnotandum præterea quod Peste cessante, cessat etiam Irregularitas, non obstante contagio, quia ab eo, qui jam Peste fuit affectus, & ab ea evasit non amplius timetur contagium, & idcirco nullam causam habet, ob quam repelli debeat aut à promotione, aut ab administratione facrorum; non enim fit in peste quod in aliis quibusdam contagiosis morbis evenit, nempe ut etiam recedente morbo retineant ægotantes, seu potius convalescentes, & jam sani facti seminum contagii, ut exempli gratia fit in morbo Gallico, ex quo recedentibus etiam cunctis morbi symptomatibus, perseverat tamen contagii seminum, ita ut etiam si de præsentis homo non appareat infectus, soleat tamen alios contagio inficere, ut quotidie experimur; immo & illud experientia compertum est, mulierem non infectam morbo Gallico, habere in se aliquando seminum ejus morbi, & non infecta alios inficere, quod etiam de viris evenire (sicut multo rarius & non ad longum tempus) non est impossibile; in his enim occultatur illud morbi seminum in aliqua corporis parte, neque ullam de se significationem præbet quousque in actum non producat; id ipsum etiam de quibusdam aliis venenis evenit, quæ latent per aliquod tempus in corpore, immo aliquando per longissimum tempus, & dehinc cum in actum producantur de se significationem præbent excitando symptomata eorum malitiæ proportionata, ut de veneno Canis rabidi satis constat. Itaque quemadmodum in Peste ubi cessaverit cessat in eo, qui Peste jam fuit affectus omnis causa Irregularitatis, ita in morbo Gallico hoc non habet locum, quando cumque contagium judicetur sufficiens causa Irregularitatis, quia possunt etiam cessante morbo remanere seminia ipsius morbi, & deinceps repullulare, at ubi aliquis semel Peste affectus sit non amplius ea molestatur? non inquam, omni Peste indifferenter, sed ea tantum, quæ de præsentis vagatur, nam alias adventante novo Pests genere potest de novo infici, ut experientia docet, cum multi bis, ac ter in diversis temporibus differentibus pestibus fuerint affecti, at qui eodem tempore eodemque genere

generis Pestis plures sint molestati non facile reperiuntur.

S V M M A R I V M.

- 1 *Feminae etiam suo modo sunt irregulares.*
- 2 *Mulierum Irregularitas quando habeat locum.*
- 3 *Virgo quando vere dicatur corrupta ex Canonistis.*
- 4 *Corrupta mulier dupliciter dicitur.*
- 5 *Corrupta quoad corpus dupliciter dicitur.*
- 6 *Non corrupta potest non esse Virgo, & corrupta potest esse Virgo.*
- 7 *Atræta, seu Velata dicitur corrupta, si viro jungatur, etiam si loca non violantur.*
- 8 *Virgo potest concipere absque violatione locorum, & quomodo.*
- 9 *Virgo quando vere conspurcata dici debeat.*
- 10 *Pollutio non potest contingere ante feminis generationem, & utrum Virgo ante dictum tempus possit mentalem Virginitatem amittere.*

De Irregularitate fœminarum.

Q V Æ S T I O XXIV.

Fœminæ etiam suo modo Irregulares dicuntur, cum inhabiles ex aliqua causa sunt ad quædam sacra suscipienda, & exercenda, quæ ad ipsas pertinent; nam aliquando impedimento legitimo detinentur, ex quo Moniales fieri non possunt, nec velum qualescunque sunt suscipere, nec publica officia, ac præsertim Abbatissatum exercere, & sic de cæteris. Nos pauca quædam de his impedimentis addere possumus, quæ propria ipsarum mulierum sint; nam aliis quædam, quæ viros Irregulares efficiunt, faciunt etiam Irregulares ipsas mulieres, ut est morbus contagiosus, vel qui magnum terrorem suis insultibus aliis incuteret, ut Epilepsia sæva, vel Lunatica passio, furor, & omnis species dementiæ, quæ in aliarum virginum præjudicium emanare potest: in tantum enim hæc mulierum Irregularitas locum habet, in quantum earum morbi, ac vitia alias moniales lædere sint apta, nam quæ proprias personas deformant, non impediunt illas in omnibus, sed tantum in quibusdam, cum surditas, mutitas, cæcitas, & alia vitia & deformitates etiam insignes non impediunt virgines consecrari, sed maxime impediunt eligi in Abbatissam, ut existimat Majolus lib. 1. de Irregular. cap. 29. num. 5. quæ opinio an undequaque veritati sit consona aliis Canonistis ponderandum relinquo. Nobis circa mulieres de corruptela tantum virginitatis aliquid dicendum, & de pollutione. hæc enim duo videntur peculiariter impedire posse ne Monialis professionem emittat, aut consecrari possit, aut in Abbatissam eligi, de quibus videndus Majol. ubi supra.

Circa corruptam ergo virginitatem occurrit dubitare quando nam vere virgo dicatur corrupta, & primo asseramus quæ docent circa id Canonistæ, ac postmodum quid secundum Medicos sentiendum sit, licet, ut libere meam sententiam dicam, nihil in hoc Medici determinare possint, cum corruptio virginitatis, quæ prædicta affert impedimentum maxima ex parte mentem respiciat, non corpus, Medici autem ad corporis tantum integritatem respiciant; non desistant tamen, quin aliquid circa hoc in medium asseram.

Canonistæ igitur duplicem corruptelam considerant, unam ad mentem pertinentem, aliam ad corpus. Corrupta quoad mentem est, quæ ex negligentia, & complacentia & assensu in pollutionibus spontaneis, (quæ nempe ex se, nulla data opera, vigilantibus, aut dormientibus accidunt) continentur, amittit enim irreparabiliter virginitatis virtutem, licet corpore sit integra. Corrupta quoad corpus est, quæ claustra virginalia violata habet, quod dupliciter evenire potest, vel præ intentionem, vel ex propria voluntate, & data opera. præ intentionem etiam dupliciter fit, vel casu, ut si Virgo impingat in aliquid obstaculum, quod claustrum virginale perumpat, vel data opera, ut si Obstetrix, aut Chirurgus sanitatis causa idem virginale claustrum violaverit, ac devalaverit. Ex propria voluntate corrupta dicitur, quæ cum viro commixta, & violata est, aut quæ propriis manibus, vel instrumento aliquo, vel manibus alienis claustrum idem penetravit, aut penetrari permisit. Ex quibus patet, quod quemadmodum virgo corpore integra potest amississe virginitatem, ita corpore corrupta potest eandem virginitatem adhuc conservare; licet quæ corrupta est quoad mentem virgo dici possit secundum statum, non vero secundum virtutem, contra quam eveniat de ea, quæ integra est quoad mentem, corrupta quoad corpus: nam, ut notissimum ex Canonistis est, virginitas non consistit in integritate corporis, sed in integritate mentis; atque hinc est, quod ea, quæ mulier fieri non potest ob pudendam clausuram, quæ in aliquibus à Natura accidit (vocantur autem tales Atrætae, Imperforatæ, seu Velatæ) si cum viro jungatur, virgo amplius dici non potest, etiam si locorum integritatem seruet, ex assensu enim tantum illico virginitatem amittit, hoc est ipsam virginitatis virtutem, licet integra à viro remaneat.

Cæterum ad ea, quæ magis propria Medicorum sunt accedens, de ipsa corporea virginitate discernendum esset, de qua tamen lectorem qui plura scire desiderat remittam ad harum questionum lib. 4. tit. 2. ubi & quid sit Virginitas, & de vera, ac naturali constitutione partium in Virginibus, & de aliis pluribus longioribus tractavi. Quod ad præsens negotium facit, illud est, determinare quando nam vere Virgo dicatur corrupta respectu integritatis locorum; quod tamen difficillimum est, quia, ut in præd. quest. 1. num. 32. docuimus, Virgo potest genitale viri admittere absque ulla violatione locorum, si una, aut altera die à purgatione menstrua viro jungatur, itaque si id veritatem habet, ut veritatem omnimodam habere notat Pinæus de not. Virg. lib. 1. cap. 6. etiam integra virginitate corporali, hoc est non dilatatis, nec dilaceratis, aut illo modo disjunctis vasibus femineis, potest virgo virum admisisse, & concepisse, unde si ad eam integritatem respiciamus, adhuc eam ipsam virginem esse pronuntiare deberemus, cum nullatenus talis sit. Ut brevitati consulam id concludam, quod corporalis virginitas amittatur in tromissione quacunque notabili membri virilis; vel siquidem id nimis rigorosum videatur, dicamus, tunc debere dici omnino conspurcatam virginem, cum vir suo membro penetraverit carunculas illas Hymenem constituentes, quos Myrthoides, & Triangulares appellant, harum enim caruncularum (quæ Cariophylli speciem repræsentant) conjunctio, & coheræntia verus Hymen est, unde tunc dici potest corporalis virgi-

virginitas amissa, cum hæc carunculae disjunguntur per externam aliquam vim, quæ si à membro virili processerit, omnino Virgo corrupta, ac violata dicitur, alias autem non ita. vel forte melius, tunc corporalis virginitas amissa dicenda est, cum membrum virile ad interna uteri etiam absque ulla violatione, aut disjunctione locorum sed simplici in-tromissione penetraverit, ut evenire potest non multo per menstrua purgationem præsertim si mulier ampla pudenda habuerit, & vir exile membrum fuerit sortitus.

Quoad pollutionem tandem integra remanente primo ea Canonistarum sententia, de qua supra, quod vera virginitas nempe mentalis, & ipsa Virginitatis virtus amittatur simplici assensu, & ex-complacentia, & desiderio venererorum, dicamus, quod pollutio non potest contingere ante feminis generationem, semen autem generatur cum menstrua fluere incipiunt, tunc enim, & non ante mulier est apta generationi. Modo Canonistarum est

decidere, utrum antequam Virgo pollui sit apta ex feminis ejaculatione, amittat tamen virginitatem, si ad eam malitiam pervenerit, ut desideret cum viro in actu venereo se jungere, & in hoc desiderio firma remaneat, ac se complacent, nam hæc ad Animum spectant, & ad Canonistarum negotium faciunt. Dubium facere posset, si velimus Virginitatem consistere in integritate locorum respectu emissionis feminis, ita ut non videatur Virgo illam amittere, nisi ex feminis ejaculatione dejectionem percipiat, & cum assensu, & voluntate ad eam concurrat. Itaque si hoc modo amittitur Virginitas, certe amissa non potest dici, ubi nulla feminis ejaculatio adesse potest, & sic antequam Virgo semen ferat, hoc est ante dicimus quartum annum, quo etiam menstrua fluere incipiunt, non potest dici Virginitatem amississe etiam ex assensu, & complacentia Venererorum; quæ tamen omnia Canonistæ magis clare definire poterunt in ordine ad Irregularitatem.

Tituli Primi Finis.



PAVLI ZACCHIE

Medici Romani,

QVÆSTIONVM

MEDICO-LEGALIVM,

LIBRI OCTAVI

TITVLVS SECVNDVS.

De Remediis Medicis.

Continens Quæstiones quatuor ;
quarum

- | | |
|--|-----|
| I. Quenam sint remedia Medica ; & quenam Persona circa eorum usum errare soleant. Infirmus an, & in quibus casibus teneatur, Medico obedire. | 617 |
| II. Diætica. | 630 |
| III. Pharmaceutica. | 633 |
| IV. Chirurgica. | 635 |